

SPECIMEN ACADEMICARUM  
MEDITATIONUM,

De

DECRETIS  
DEI.

Sub Formali Philosophico,

Expositum;

Σύνεργον ἢ ὑψίστη,

*Et adprobante Venerando ac Spectabili Amplissimo  
Senatus Philosophici Collegio, in Regiâ  
Aboënsi Academiâ,*

Placidæ & candidæ γνησίως ἢ ἐπιχειρῶς φιλο-  
σοφῶν ἀριστέσει ventilandum

Submisit

M. ANDREAS E. HÄS!

Respondente

ANDREA L. CALLIIN, W-Gotho:

In Auditorio maximo,

Ad d. 12. Maii, Anno salutiferæ incarnationis

τῆς λόγῃ 1688, ab horâ matutinâ 8. in 12.

ΑΒΟ.Ε, Impr. apud JOH. WALLIUM, A.T.

*Generosissimo & Nobilissimo Domino,*

**DN. CHRISTIERNO**

**C A R P E A M /**

Hæreditario in Kärchnåås / Kättars  
fund / Ristniemi & Storegård / &c.  
Legionis pedestris Protribuno præ-  
strenuo, Literatorum Patrono ma-  
gno, Domino & hoc tempore Nutritio  
meo propensissimo, summâ animi sub-  
missione reverentiæque cultu æ-  
tatem colendo.

*Consultissimo, Amplissimoque Domino,*

**DN. BERNHARDO**

**R I C A R D I,**

Civitatis Aboënsis Consuli æqvissimo  
spectatissimoque, Evergetæ & nostri Or-  
dinis Promotori ut perbenigno, ita  
semper impensè honorando,  
suspiciendo.

**SALUTEM, VITAM,**

*Max. Reverendo Excellentissimoq; Domino,*

**M. JOHANNI  
FLACHSENI,**

Sup. & Inf. Math. Prof: celeberrimo,  
utriusq; Consist: Adfessori gravissimo,  
nec non Ecclesiæ, quæ Christo in *Prædicatione*  
& *Custodiâ* colligitur, Pastori longè di-  
gnissimo, ut antea Nutritio liberalissi-  
mo, ita nunc Meccænati certifi-  
simo, æternùm summè devene-  
rando.

*Speçtatissimo atque Prudentissimo,*

**DN. BARTHOLDO  
JESSENI**

Civi Aboënsi percelebri, & Mercatorum  
primario, literarum æstimatori apud  
nos ferè unico, earumq; Cultorum  
Fautori benignissimo.

**FELICIA FATA!**



Generosissime, plur. Reverende, Amplissimi,  
Prudentissimiq; Domini,



namvis non parū subverear, ne gra-  
vis atq; molesta Vobis haec mea sit  
compellatio, propterea quòd pro-  
bè mihi constet, vos catenatis ne-  
gotiis quotidie distringi, quàm  
ut ad harum umbras respicere liceat; nihilomi-  
nus tamen, cūm satis nōxim Benevolentiae Ve-  
strae radios prolixè admodū & abundè adful-  
gere, ut omnibus, qui Politiora studia tractant,  
ita potissimum iis, qui juvenilia sua ingenio-  
rum mysteria Vobis, ceu literarum Ephoris sumis  
modestè litant; Sub ancipiti equidem ulterius  
barere nec potui, nec debui, quin in veneran-  
dum Vestrum conspectum hisce prodirem lineolis.  
Causas hujus facti habeo & pondere gravis-  
simas, & numero plurimas. Me namq; pere-  
grinum, ad dissitas hasce Musarum sedes stu-  
diorum gratiā advenientem, non tantūm pla-  
cido visu exceptum, favorabiliter alloqui su-  
stinuistis, & benevolentiae opera omnium ope  
de-



defecto, nullisq; officiorum meritis Vobis de-  
vincto, statim exhibere non dedignati estis:  
Sed etiam paulo post, instructissima mense Ve-  
stra gratis admotum, non tam insignium  
ciborū decenti abundantia, quàm utiliū discursu-  
sum suavitate aluistis; in reliquo etiam quo-  
tidiane conversationis usu, tam cordata elu-  
cebat propensa comitatus Vestra erga me affa-  
bilitas, ut rarissima Probitatis mansuetudinem,  
nec dignis elogiū celebrare, nec satis admi-  
rari queam. Omitto laudis hujus consortia  
ceterarū Virtutū mirā suavitate inter se velut  
concertantium specimina. Meditanti verò  
mibi, quomodo convenienti aliquo modo, hujus-  
modi in Vobis conspirantium Virtutum comple-  
xum, publicā de prædicatione celebrarem, optatò  
obtulit benignitas Altissimi brevem hanc, ner-  
vosam tamen, suisq; encomiis minimè defrau-  
dandam Disputationem, eleganter & Philoso-  
phicè, indolem Decretorum Dei exponentem;  
quam defendendam lubens ac desiderans ul-  
terò susceperam, cùm Fortune iniquitas, mibi  
hac usque propriam ostendere denegârat; e-  
amq; ut pia observantia monumentum, Vobis  
inscribendam judicavi, tum ob præstita be-  
neficia, quorum memoriam nullus unquam  
obliviosus torporis humor penes me suffocabit,  
eum etiam ob cultus Divini zelum V. ineffa-  
abilem, cui Vos totos, sequestratis hisce

momentaneis, toto pecclore deditos esse, notiora  
habeo longè notissimis. Primitias ergo progres-  
sum meorum in studio Pneumatico benignè  
accipite, & ceu gratissimi animi pignus, an-  
te pedes Vestros nunc depositum, pro compluri-  
bus animi Vestri eximiis Virtutibus, equi boniq;  
consulite, proprii ingenii factam, in posterum  
favore cæli clementer mihi aspirante, Vobis  
consecrandum pro virili enitar. De cætero  
cælesti Numen piè fatigabo, ut vos diutur-  
ne sanitatis stipendio & fausto rerum felici-  
um successu, quàm diutissimè sub Cælo clemen-  
ter coronet, ceu cordiculus dum heic & ubiq; lo-  
corum vivus fuerit, exoptat, vovetq;

Generosissimi Nominis Tui,  
&  
Vestrarum Ampl. Dignitatum

Devotissimus cultor  
ANDREAS L. CALLIIN, W.-Gothæ

*Pereximie Dn. Respondens.*

**M**agnus ille Deus, qui ante secula in sua  
sanctitate infinita cum complacencia  
vixit, vivitq; in æternum, postquam  
hanc mundi molem inter duplex ævum li-  
brasset; postqva stellis sua officia, elementis vim,  
halitibus & motui ventorum privilegia, terra-  
rum orbi & animalibus plantisq;, quæ heic de-  
gunt crescuntque, statas vices & operationes  
descripsisset; Solum hominem, speciosum illud  
naturæ opus & rerum creatarum Regem, eo  
pignore, iis intellectus & voluntatis dotibus  
instruxit, quibus certare potest cum ipsis Beatif-  
simis Angelis. Sunt sanè judicia Dei abyssus mul-  
ta, nec quisquam est, qui tanta consiliorum sa-  
cramenta, valet penetrare. Ingenium nostrum  
intelligibilem radium, in sensibilibus regionum  
sphaeram mittit, ex immaterialibus substantia-  
lia, his annectit accidentalia, ex singulis ideas  
format venustas, candidas, verissimas; inde per  
intelligibilium notionum conceptus in super-  
cœlestia palatia, in actionum humanarum The-  
atra, in contemplabilium subtilissima penetra-  
lia pervadit; sic intellectualis in corpoream, sic  
immaterialis in materialem, sic elementaria in  
simplicium, Dei & Angelorum commercia de-  
votè invadunt. Quis aptis elogiis deprædica-  
re valet Supremi Numinis bonitatem & Decre-  
torum magnalia? Populis omnibus se manife-  
stavit



Deus unum in essentia & trinum in personis. Proclus post Zoroastrem in istam confessionem se laxat. *Hic intellectus, secunda mens, quia solus decerpit florem mentis ex virtute Patris, possidet vim intelligendi, & virtutem distribuendi mentem seu intellectum paternum omnibus rerum fontibus & principis.* Citat idem Parmenidem, cujus grande est iudicium de consilio & mente Patris. Inde Trismegistus scribit: *Deus qui intellectus est, & vita, & lumen, ut qui verbum peperit, qui quidem intellectus alter est omnium opifex, unaq; cum illo; & alium quæ Deus igneus & divinitas spiritus est.* Mundum cœpisse in tempore Decretum est Divinum gentibus annunciatum, quod non ignorârunt Iamblicus, Plato, Pythagoras. Providentia illa æterna gubernari omnia, Synesius, Aristoteles, Hierocles evidentissimis argumentis confirmant. Animas nostras esse immortales Gentiles oratores, Poetæ, Historici uno ore clamant. Easdem quoq; labe peccati maculatas post Theophrastum Plutarchus dixit; Deum esse verum bonum, amorem & polum nostrarum actionum, tum religionis vinculum, nos cum æternitate ligans, Ethnicus Tullius ingenuè fatetur. Verum ne prolixior sim justo, in enarrandis quotidianis hisce, filum abrûpo; Tuoq; Præsidi Viro doctiss. & egregio, tibiq; felicitatem, annos, constantiam adprecor. V. à T.

D. ACHRELIO,



*Virtutum & Eruditionis gloriâ, morumque  
suavitate ornatissime*

DN. RESPONDENS.

**E**xperientiâ rerum Magistrâ abundè  
constat, non saltem ad superbas divi-  
tum ædes pervigilem morari honorem:  
Sed lucere illum vel inter simplicioris  
modestix umbras, ubi à profani ambitus  
afflatu immunis, nec adulantis plebe-  
culæ applausu extollitur, nec maligno  
livoris obtunditur obtutu. Talem, re-  
luctante licet invidiâ, Virtutis individuâ  
labe, quemcunque jure merito conse-  
qui debere, qui rebus præclaris operam  
sedulam navat, & circa ea, quæ ardua,  
difficilia, nec cuivis obvia, occupatur,  
quique licentiam fugit & voluptatem,  
utpote Virtutis novercam, nequitix  
magistram, pessimam morû corrupte-  
lam, omninò censendum est. Insigne  
hujus rei specimen tu, dilecte CALLIN,  
in Disputatione hâc publicè à te defen-  
dendâ, de argumento nobili, subtili &  
satis intricato, minimeq; trito declaras.  
Animi certè erectioris indicium haud  
obscurum est, interiores rerum habitu-  
dines

dines scrutari & abyſſos, & prout tuo jam factò comprobas, velle ſupra ignorantia fratres ſapere, qui licere ſibi, quicquid allubeſcit, putant, neque ullâ ſe lege teneri exiſtimant, vel honeſtatis, vel modeſtia. Sapiencia, illa *Regentum Pharos & Rerumpublicarum columna*, ſuo expulſa domicilio exulat, & licentia ſororio vinculo inertia adſtricta, ſatis ſœcunda genetrix numeroſam gignit prolem, prolem inviſam, nempe factum, luxum, libidinem, ambitionem, aliaque vitia, mille corruptelas ſecum trahentia comites. Ab hiſce omnibus cum tuus in immenſum abhorreat animus, non immeritò auſus & conatus hoſce tuos, ſimul ac laudabiles in ſtudiis progreſſus, ex animo gratulari debeo, & ulteriora eruditionis incrementa adprecari, ut Te fructus eorum optati, & præmia laboribus tuis peraffiduis digna, brevi abundè maneant atque ſolentur. Vale.

*Per paucas has lineolas ſincera amicitia  
ergo perſeſtinanter ſcripſit*

LAURENTIUS SANDERUM/  
CHRISTIERNI FILIUS, Nob. Fin.

Salve LECTOR optime, Literatorum æstimator  
æqvillime, pro virtutum & eruditionis me-  
rito colende, honorande!

**S**icut cuius Sapiencia Candidato facile  
constare existimo, multos in hoc corrupti  
seculi cœno inveniri tumide ambitionis  
fumo ac fuligine infectos, qui ex mustaceo per-  
exigua scientia, sui memoriam æternitatis albo  
indelebili caractere inscripturi, ejusmodi in-  
geniorum suorum labores literato Orbi obtru-  
dunt, qui præter novitatem operis vix quicquã  
habent, quò sibi cordatioris Lectoris commenda-  
tionem concilient atq; favorem; Ita etiam non  
protinus negandum, in effæta hæc ultimãq; vir-  
tutum vesperâ potissimam partem hujus secu-  
li hominũ, critico insultandi supercilio illis haud  
dissimiles esse, quos vel ex Gnathonica turba, vel  
olim ex antro Trophonio prodisse memorie tẽ-  
porum tradunt, nimirum invidi, suffeni, se-  
quiorum affectuum titillatione obnubilati, &  
immodici sui æstimatores, qui vel quicquid præ-  
clari meditantur sapientia amatores, ingenua-  
rum artium & scientiarum mystæ, agrè fe-  
runt, vel quicquid in illorum scriptis, utut  
maximè conspicuis, primo mentis intuitu ad-  
sequi nequeunt, ceu plebejum, obscurum, trivi-  
ale, &



ale, & oculis delicatè curiosis prorsus indignum estimantes, oderunt, damnant, rident; vel quicquid citra ullam prorsus causam, citra præviam accuratam operis inspectionem oderunt, cum fastu, cum astu, cum insolentia, cum despicientia spernere, lacerare, judicare non verentur. Qui denique exercitia Academica demortuis, à Pacuvio & Ennio accersitis vocabulis, saltantibus ad nauseam fastidiumq; pe-riodis, ineleganti vacillantis styli colore, jejuna & biulcâ argumenti tractatione, obscurâ terminorum evolutione, omnis delectationis experte, plusquàm satis est, scatere adserunt. Quamvis enim communis hic obtrecciónis livor, individuus virtutis comes, etiam eorum scriptis audacter insultare consuevit, quorum vastissima sapientiæ & admirandæ ingenii felicitati, & stupendo iudicii acumini, doctissimi quicq; cultioris orbis incolæ ultrò fascēs submit-tunt; etiam illi, qui divinis scriptis & nominis magnitudine, universam terrarum Orbis lati-fundiam, gloriâ verò famæ vastissimam tem-porum profunditatem æquant, quicq; eam fa-mam omnium suffragiis ritè adepti sunt, ut artium liberalium heroës, literatorum phos-phori & antesignani, imò terrarum Dii & lumi-



lumina audiant; Fatum tamen longè durius  
eis incumbit, in quibus & claritatis & eruditio-  
nis inopia damnatur; sola autem virtutis cu-  
pido ceterarum rerum opulentiam sedit, & in-  
felicioris ingenii defectum supplet. Quos in-  
ter cum ego infima classis homulus me depre-  
bendo, qui non attento, quod & cæci illius plu-  
ti propitio favore, & acri iudicii lumine desti-  
tutus, incomprehensibilia incomprehensibilis  
Dei decreta, mei ingenii angustiis jam metiri  
sustineo, Te, Cordate Lector, quantum possum  
modestâ animi contentione oro, obtestor, obsecro,  
ut si virtutem suspicias, si sapientiam & indu-  
striâ verè amas, si merito suo aestimas, si turpis  
ignavia notam detestâris, si diligentiam in laude  
ponas, si conatum literatorum favore prosequen-  
dum merito iudicas, si tibi Cati corculi nomen  
competit, si deniq; horribilem illam Catoblepa-  
rum aspectum fastidias, hanc dissertationem me-  
am indisertam, non partam felici Junone, non  
Pallade natâ, non Philosophica curâ expolitam,  
non limâ excellentiori dolatam, non splendore  
verborum aut gravitate sententiarum gratio-  
sam, non acumine elaboratam, sed leviter ex-  
cussam, sed sub mole labentem difficultatis ma-  
ximæ, solite ingenuitatis Tuæ radiis, repulsis in  
viden-

videntium nebulis, paululum splendescere facias. Quò de tantò certiore me facio, quanto abundantius noveris hodiè, ruente hoc ævo in præceptis, non rarò accidere, ut qui benigni illustrium meditationum pensatores sperantur, virtutis & industria punitores acerrimi inveniuntur. Nec nisi brevi abhinc temporis intervallo, hunc ingenii mei foetum qualemcunq; in apertum fama propyleum emittendi cupido animo incessit, non proprio ausu, non præpostero scripturandi pruritu, non temeraria curiositatis impetu, non spe inanis gloriolæ, aut vanâ fiduciâ inducto; sed suasionibus insignium virorum, quos non saltem mihi benè cupere, sed & ex æquo & bono, exercitationis vim commèdare, abundè norim. Et quoniam inficiari nequeo, me heic multa ex inopiâ librorum & festinatione nimia, intacta reliquisse, & ea, quæ attigerim, ad Aristophanis & Cleanthis lucernâ minùs elucubrasse, quo nomine, etiamsi sponte fateor, Te, jure posse specimen hoc cogitationum mearum potius blattis tineisq; lacerandum objicere, quàm ad oras, thus & fragrantia dulcedinem spirantes, deferre; nihilominus probitati tuæ confusus, spero Te omnia candidè & mitiorem in partem interpretaturum. Benè Vale.

A. E. H.



## CAPUT I.

### §. I.



*De DEUS occulta esse vo-  
luit, non sunt scrutanda;  
quæ autem manifesta fe-  
cit, non sunt neganda:  
ne in illis illicitè curiosi,  
& in his damnabiliter*

*inveniamur ingrati. Gravissimam hanc sen-  
tentiam, ut omnium hominum animis instil-  
landam, ita præcipuè cupidis curiosisq; ingeniis  
penitus imprimendam, ex ipso veri sacrario pro-  
fert augustus ille Ecclesiæ Præsul Ambrosius l. 1.  
de vocat. Gen. cap. 7. Quæ nihil aliud primo  
innuere & indicare voluit, quàm temerarium  
esse cogitata ultra cœlum projicere, & de iis  
velle curiosè differere, quæ ab intellectu hu-  
mano longissime sunt posita, quæq; nec hu-  
mani ingenii solertiâ indagari, nec acumine ju-  
dicari possunt. Extra enim naturam sapere, est  
desipere; quin potius occurrentibus Mysteriis,  
eadem constringere decet sub obedientiâ reve-  
lationis, Cum autem decreta Dei, ex *Φαυερῶσ* es  
divine*



divinâ & solâ Scripturâ Sacrâ, omnium illo-  
 rum, quæ de Deo & rebus divinis adferuntur,  
 unica regula, mensura & amussî, quâ in humi-  
 li fide & pietate omnes, qui veri Christiani no-  
 mine venire desiderant, acquiescere debent, lu-  
 cidissimè effulgent, ex ductu itidem luminis na-  
 turæ & rationis dictamine ea quoque ostende-  
 re, non nemini temerarium esse forsân videbi-  
 tur. Nihilominus tamen existimamus, non  
 temerè facturum illum, qui in decretorum Dei  
 genuinam existentiam, Spiritus Sancti oraculis  
 consentaneam, rectæ rationi & Philosophiæ so-  
 briæ conformem, inquirat, idque tantò confi-  
 dentius, quantò illorum, qui hoc inficiantur,  
 simplici & nudæ assertioni sua Θεολογήματα  
 magnus gentium Doctor Paulus solidiori fun-  
 damini innixa operosius opponere sustinet. Val-  
 dè enim emphaticè & quidem ἀκρεβῶς καὶ  
 διεξοδικῶς dicit ad Rom. 1. 19. & 20. ὅτι γνω-  
 σὸν τῷ Θεῷ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, hoc est,  
 quod de Deo cognosci potest, manifestum est  
 in illis, scilicet Ethnicis. Huic adsertioni di-  
 fertâ & rotundâ oratione suffragatur & cal-  
 culum addit candidiorem, dum in v. 18. γνω-  
 σὸν Θεῷ vocat ἀλήθειαν, veritatem Dei, h. e.  
 veros de Deo conceptus; & v. 32. δικάωμα Θεῷ.  
 Cum γνώσει ἐμφύτω heic loci conjungi  
 γνώσει



γνώσειν ἑστίν ἡ ἀπορία ex v. 20. non potest non evidentissimè liquere. Vestigia igitur isthæc Dei in operibus extrinsecis se patefacientis, quemlibet gratà mente agnoscere & amplecti debere, extra omnem prorsus controversiæ lineam ponendum est.

§. II.

Sed dum in his occupati sumus, ἰπριστάγμα  
 Σικῶς, quasi hic dixisse convenit, exinde non sequi, positionem nostram amplius non esse pneumatico - Philosophicam, sed Theologicam evadere, quòd S. paginam in ejusdem fidem allegare sustinuerimus, quod ne seu nimis fidenter nos ausos fuisse, seu rotundè, eoque minus cautè, fecisse quispiam contendat, sciendum volumus, & nos hoc sobriè & parcè admodum fecisse, & aliud esse quærere, utrum in eadem scientiâ aliquid consideretur; & aliud, utrum eadem in scientiâ aliquid hoc modo, & non secus consideretur. Multa namque philosophicæ tractationis sunt, quorum tamen cum perfectionis, tum certitudinis ἀκμὴ seu complementū φανερώσει divina, seu luminis gratiæ adscribendum. Nec ἀσύστατον esse potest, si eadem res in diversis scientiis consideretur, nec tamen eodem modo, & per eandem demonstrationis species. E. g. una eademque

demque est positio, quod terra sit pendula in medio universi, eaque in diversis scientiis consideratur, nec tamen eodem modo, sed diverso demonstrationis genere. In scientia naturali enim ex qualitate terræ, & gravitate situs ejus in medio mundi, esse concluditur. In Mathematicis verò, ex distantia & similibus affectionibus & adparentia demonstratur. Hoc itaque modo, eadem quidem scientia diversas species distinctè cognoscere potest, non tamen ut omnia, quæ distinctè iis conveniunt, intelligat. Pneumatica potest ex actuali creaturarum intuitu, & mirabili totius hujus mundi gubernatione cognoscere Deum ceu Ens perfectissimum, ideoque loquendo κατ' ἀναλογίαν aliquam cum intellectu humano, facultate intellectiva & volitiva præditum, & qualitercunque exinde per sobriæ mentis ratiocinium ejus decreta colligere; nec tamen vel ultravivium suarum sphaeram progreditur, nec perfectè, quæ Deo conveniunt, aut quæ cum voluntate ejus conformia sunt, ceu theologia, tradere potest. Quo igitur hæc firmiori consent veritatis fundamento, ἐπακλικῶς & seria æstimatione pensandum est, quod sicut nulli, sanioris & magis sobriæ Philosophiæ, seu perito, seu saltem amanti constare nequit, dari Deum, seu Ens summè infinitum & intelligens, ita  
etiam

etiam per necessarium esse, ut de eo veri conceptus formentur foveanturque, quorum beneficio quædam de Deo non ἀθεολόγως & σκολιῶδ' ἔως affirmari, quædam vero ab eodem jure merito removeri debent. Citra fluctuationem animi seu dubiam ejus conscientiam affirmari oportet ea, quæ pro certo videntur citra absurditatis sequelam congruere excellentiæ dignitatis divinæ, & quæ nihil profus involvunt, quod divinæ ejus perfectioni potest contrariari. Eo igitur perfectionis vis intellectiva hominis penetrare valet, ut quicquid perfecti deprehenditur in creatura, illud longe eminentiori attributionis modo de Deo prædicari queat, & quod à veritatis centro distonum, seu ἀνύφρασις ἐν προσκειμένῳ involvit, neutiquam in coeleste Numen cadere posse, ἀναγιβλήτως adstruat. Possemus quidem multa pro nobis militancia adducere, sed cum ex benè dispositi iudicii conscientia, & aliis præterea causis sciamus, non extra oleas, & in aliena nos messe versari, consultum ducimus & ulteriore diductione & excusatione jam supersedere, hac tamen cum fiducia, ut si cuiquam fortè in ipso hujus discursus certamine volupe fuerit, pleniorum urgere tractationis nostræ rationem, adeo nosmetipsi animum non despondeamus, ut in quantum viriculæ ingenii valuerint, eidem e-



dem etiam, si non ex affe & plenè satisfacere, tamen mentem nostram quadantenus explicare adnitamur.

§. III.

**N**unc ut revertamur eò, unde paulatim plenioris ἐξηγήσεως ἕνεκα digressi sumus, methodi svadet ratio. Operum Dei κατὰ τὸ ἔξω seu ad extra, quædam ἐν γίνεσθαι, quædam ἐν εἶδεν, considerari, eorum qui vel primas in scientiis libarunt, ignorat nemo. Opera Dei κατ' ἔξω in sensu generali considerata sunt duplicia, scilicet, omnium creatio & earundem conservatio seu Providentia. Omnium operum κατ' ἔξω illud primū est, quò Dei revelatio & noticia qualiscunque inchoatur, ipsa scilicet Mundi ex nihilo productio. Præsupponitur hæc reliquis operibus Dei cunctis, seu cui τὸ εἶναι creaturarum ἀπλῶς, simpliciter & omnimodè, acceptum referri debet; Quam Deus juxta decretum & consilium voluntatis suæ, soloque omnipotentia suæ nutu, absque motu passionis & defatigationis, nulla ei accedente mutatione, nec novis subeuntibus decretis, aut ab ipso otio ad negotium, seu à potentiâ ad actum procedente, suscepit.

§. IV.

**D**ivi divina decreta, quibus Deus ea omnia ab æterno præstitit & decrevit, quæcunque in tempore egit, etiamnum agit & posthinc acturus, non prorsus ἀναποδείκτως & ἀσκόπως evinci potest, præcisâ Πα-



*repótes* divinâ, è solo lumine naturæ & ratio-  
 nis dictamine, Et id quidem primò, ex immedia-  
 ta Divini intellectus & voluntatis cum decre-  
 tis Dei connexionè. Nam si Deo competit  
 facultas intellectiva & volitiva, utique sequitur,  
 quòd quis ex superabundanti, beneficio rectæ  
 rationis & luminis naturæ, demonstrare pos-  
 sit, Deo competere decreta. Quemadmodum  
 enim Deus κατ' ἑξῆς in rebus creatis semper  
 operatur interventu cujusdam attributi essen-  
 tialis, consimili modo vicissim ab intellectua-  
 litatis, voluntatis, omniscientiæ & omnipoten-  
 tiæ attributis Dei essentialibus, actus præde-  
 stinantis & omnia decernentis Dei efficacissi-  
 mè colligitur. Quorsum intelligens, volens,  
 omnisciens, & in res creatas amore maximo,  
 crederetur? Si nullo præditus esset Decreto,  
 quo destinasset & decrevisset mundum creare,  
 creatum conservare, malefacientes punire, vir-  
 tuosè verò viventes præmiis afficere. Quor-  
 sum omnipotens, omniscius, omnipræsens ha-  
 beretur? si non omnia ab æterno ita decre-  
 visset moderari, prout actu ipso sapientissimè  
 nunc moderatur: quousque enim se extendit  
 prævisio Dei, eousque etiam se diffundit decre-  
 tum Dei. Hinc secundum fuit argumentum,  
 quod ex præscientia Dei desumptum est: De  
 iis, quæ Deus præscivit, aut aliquid decrevis-

se censendus est, aut non: qui hoc affirmaverint, adserent etiam Deum res à se conditas sibi curæ cordique non habere: At hoc *βλάσφημον ἔμάλια φορηκὸν ἄκρομα* est, ideoque plurimis de causis omnium refutatione dignissimum. Ergo illud statuendum, nimirum quod Deus de rebus omnibus aliquid decrevit. nam sicut præscientia Dei ad omnia tam bona, quam mala extenditur, cum nihil uspiam rerum sit, quod prævisioni Dei non subiaceat, ita etiam irrefragabiliter sequitur, decretum ejusdem ad omnia se extendere. Tertiò ab actuali providentiæ Divinæ existentia probari potest decretum Dei, hunc in modum: Omnia quæ in mundo fiunt & geruntur, aut fiunt & geruntur juxta Dei aliquale decretum, aut omnino citra illud. Sed non hoc, quia nihil absolute renuente Deo fieri potest. Ergo illud. Et sicut igitur Providentiæ Divinæ subjacent omnes in universum res, pari etiam modo decretum ejus circa omnia in universum entia occupatur. Porro ex absurdorum consequentium inductione, scilicet ex ipsa conscientia, infallibili isto pectoris oraculo, non incommodè svaderi posse videntur Decreta. unde sic inferte juvat: Si irrogeniti seu infideles, exera statum gratiæ constituti, nullo profus modo ex rationis suæ lumine & instinctu conscientia

scientiæ scirent dari ens quoddam summe infinitum, cujus voluntate seu immutabili decreto bene agentes ad æternam beatitudinem, secus vero ad damnationem ordinarentur, nunquam solliciti essent ultra corporeæ & momentaneæ voluptatis usum & punctum, brevissimis inclusum spatiis, quo hic vivunt. Nunquam spe salutis consequendæ Deum colerent, parentes honorarent, nudum operirent, æquitatem servarent, vel ab injuria proximi, ut multi Ethnicorum, abstinerent. Et nunquam denique, corporis solvendi vinculis, ultimam & decretoriam illam mortis horam vel totis artibus intimisque sensibus exhorrescerent, vel sancte & ilibate transactæ vitæ suæ sibi consciis serena & hilari fronte, totoq; pectore expectarent; Quin potius habenas ruenti ad noxiarum cupiditatum corruptelas voluntati laxarent, omniaque scelerum genera consecrantes, voluptatum deliciis diffuentes, omnia sua studia & actiones quascunque tantum referrent ad illam felicitatem, quæ tumulo condita dissipatur, & cum termino corpori fatali evanescit in auras. Jam autem cum vota & desideria illorum potissimum ferantur ultra blandientes hæc citoq; citius evanescentes corporis & oculorum illecebras, in immutabilem æternitatis statum, haud obscurum esse videtur, eos citra reve-



lationis adminiculū quādātenū cognoscere, se  
 summi alicuj<sup>9</sup> entis decreto, exacta miseræ hu-  
 jus vitæ periodo, ituros vel in æternæ lucis pa-  
 latia, vel profundissima tenebrarum opaca. Te-  
 merarium enim esset, & omnium vanorum va-  
 nissimū, homines elevare suas cogitationes ultra  
 spatia hujus mundi, quæ velocissimo fluxu trās-  
 mittūtur, si æq; ac bruta, nihil quæ sapiūt, nisi quæ  
 ventrē alunt, ad omnimodā volūtatis divinæ i-  
 gnorantiā dānati essent. Argumenta contraria  
 possunt facile solvi, si dist. 1. inter sciendi seu in-  
 telligendi actum successivum seu deliberativum,  
 & inter simplicissimum & indivisum intelle-  
 ctus & voluntatis actum. Alia certè longè ac  
 nostra est Dei scientia, quæ ex intellectus com-  
 positione & divisione, vel plurium inductio-  
 ne exemplorum haud perinde enascitur. Nam  
 non nisi in sensu analogico, præscientia Deo  
 à nobis tribuitur, quia extra omnem temp-  
 oris differentiam *ἐν τῷ νῦν & ὡς ἐν σὺνάψι*  
 æternitatis, cui nihil abit præteritum, nihil su-  
 bit futurum, ut non tam præscire, quàm sci-  
 re omnia rectius statuatur. 2. dist. inter actua-  
 lem libertatis determinationem, & futurabi-  
 lem. Quamquam enim futurabiliū contingen-  
 tium determinata non sit veritas, quoad actua-  
 lem causarum suarum determinationem, utpo-  
 re quæ in alterutram rerum prædicatarum con-  
 tingen-

ingentium nondum actu se immiserint, hinc  
 tamen non sequitur quoad determinationem  
 futurabilem non esse determinatam eorum ve-  
 ritatem, cum causa scil. libera ad alteram in  
 futuro certo contrahere se possit. Neq; enim  
 ἀνιφάσεως speciem involvit, hominē ratione  
 modi ad utramq; oppositorum ita esse liberū, ut  
 ratione principii interni ad alterutrū in futuro  
 determinatē tēpore sit contrahibilis; cū alioquin  
 contradictoriarum utramq; falsam evadere sta-  
 tueretur, quod veritati dissonum. 3. dist. inter re-  
 rum contingibilium incertitudinem, spectatarū  
 respectu nostri, & respectu suæ causæ. Priori mo-  
 do ejusdem plerumq; sunt naturæ, ut nobis in-  
 certæ obueniant, posteriori non item. Hisce ta-  
 men, quod videlicet Dei decreta ex ratione  
 & naturaliter cognoscibilia sint, cū adhuc  
 obstare videntur plurima, tam ex S; S; quàm  
 ex Philosophia petita rationum momenta.

S. V.

**R**em ab instituto non alienam planè vide-  
 mur nobis suscepturi, si heic loci adhibu-  
 erimus modos & vias, quibus intellectus hu-  
 manus, suis quasi alis subvectus, in Dei ejusq;  
 attributorum cognitionem penetrare potest.  
 Horum alii dicuntur repræsentare rem quam-  
 cunque obviam per *Negationem*, alii per *cas-*  
*salitatem*, alii per *eminentiam*, alii per *con-*  
*tradiç*

traditionis remotionem, & alii per nudam non repugnantiam obedientialem. Quemadmodum enim res diversi sunt generis, ita diversis ab intellectiva facultate concipiuntur modis, qui tamen omnes ad unum collimant scopum, veritatis videlicet indagacionem. In quonam autem resideat veritatis humanæ, in cognoscendis objectis, formalis ratio, impræsentiarum ex professo tractare, & nostri iudicii cæcitas, & propositi ratio haud admittit; brevi, Deo benignè annuente, de eadem prolixius fortè nobis differendi ansa dabitur. Philosophiam sobriam si iusta attentione & diligentia consulamus, quodammodo intelligimus, eandem non esse idem à parte rei ac quæ intellectus actum, quia manente hoc, interdum illa variatur. e.g. dum concipio Petrum disputare, verus est iste conceptus quamdiu disputat, illo autem disputare desinente, conceptus iste ulterius talis non manet, atq; ita repugnantia speciè non involvit, propositiones indeterminatas, aliquando veras mutari in falsas. Proinde probe notandum est, eam esse respectum transcendentalem, formaliter consistentem in conjunctione actus intellectus & objecti representati, præeunte iustâ atq; disposita representatione, si non directa semper, indirecta tamen vel etiam virtuali, ut detur conformitas rei & intellectus nostri;

alias



*aliàs veritatis non obtinetur formale. In Gno-*  
*stologia versantibus non rarò quidem occur-*  
*rit Canon iste vulgaris, omne cognoscibile in*  
*se est verum; Sed fundamentis tamen & prin-*  
*cipiis omninò niti debet hæc veritatis no-*  
*titia, ad quam intellectus noster indistinctè sit*  
*ducendus: quæ sunt vel interna utpote enti-*  
*tas rerum, & cognoscibilitas, vel externa par-*  
*tim agentia, moventia, & promoventia, & par-*  
*tim principalia, remota & proxima. Quin &*  
*habeat proprietates principia illa consequen-*  
*tes, quarum primum locum assignamus veri-*  
*tati, omnimodam inferenti convenientiam in-*  
*tellectus cum re concepta; hinc tamen nemo*  
*existimabit, nos heic intelligere veritatem res*  
*aliàs fundamentalem dictam, vel ἐνεργητικῶς*  
*seu effective, vel σηματικῶς seu significativè*  
*talem, sed Abstractivam, seu formalem.*

§. VI.

**A**t nondum omnis difficultas superata esse  
 videtur, idcirco distinctiones ad declinan-  
 das objectionum strophas observ. seqq: 1. Di-  
 stingvendum inter ea, quæ ἀπλῶς & simpli-  
 citer sunt ἄγνωστα, & quæ difficulter tantum  
 talia sunt: in his ingenii vires explorare licet,  
 de illis iudicium nullum est, ideoque de iis  
 disputare temerarium est. 2. Dist: Inter co-  
 gnitionem perfectam, omnimodam & intuiti-  
 vam;

vam, & apprehensivam, imperfectam & qualemque. A negatione enim cognitionis perfectæ & omnimodæ, non sequitur negatio cognitionis aliqualis & imperfectæ. 3. Disting. Inter argumenta apodictica & probabilia; Concesso, quod rationum pondera apodictica mens seu ratio humana non suppeditare valeat pro existentia decretorum; Probabilia tamen invenire difficile non erit rationi, & quibus qualitercunq; demonstrantibus niti queat. 4. Dist. Inter argumenta quæ probant existentiam decretorum Dei directè & per se, & inter exempla creaturarum, quæ suppositâ probatione ex sacrâ pagina quadantenus ostendunt, non esse impossibile aut rationi contrarium, decretorum scire existentiam. 5. Dist. Inter Argumenta rationis respectu sui spectata, & respectu virtutis intrinsecæ concludendi, & inter argumenta collata ad hujus vel illius irrogeniti scilicet, vel regeniti captum & judicii qualitatem. Ipsa decreta Dei & rationi humanæ, suis innixæ principiis, & ex scriptura nondum informata, sunt quidem cognita; maxime difficilia, naturæ tamen luce animis nullo a θεότητι veneno infectis, non impervia prorsus & ανεξέρητα καὶ ανεκδιήγητα esse putamus.

CAP. II.

§. I.

**H**isce ita ὡς ἐν παρόδῳ majoris evidentiae ergo præmissis, de divinis decretis, quæ ulterius occurrere possunt, opiniones alias atq; controversias, priusquã auspicemur, ipsorum naturã, originẽ atq; adjuncta exponere tentabimus, ut hoc ceu fundamento, per quædam quasi prolegomena præsupposito, ad eorum, quæ in ipso controversiarum actu evolventa supersunt, expeditior aperiaturs aditus. Naturam decretorum definitione nominis & rei, item expositione Causarum, Efficientis, Formalis & Finalis, propter quam sunt hodieq; nobis profunt, explicare, proposito nostro videtur esse satis.

§. II.

**Q**antum attinet vocem τῆς decreti, nemo est, qui non novit promanare eam ὡς τῆς discernere, quod est judicare, sicut de τῆς discernere scribit Ter: *Quid hoc malum infelicitatis? nequeo satis discernere.* Simplex est cerno; quod 1. Significatu notat distingvere. 2. Pro videre frequentissimè accipitur, quod fit, dum una res accurate distingvitur ab alterã, hinc Horat;

Cum



*Cum tua perdidit oculus mala lippus inun-*  
*ctis,*

*Cur in amicorum vitis tam cernis a-*  
*cutè?*

Deniquè etiam pro statuere usurpatur. Hinc Decretum descendit, quod decernitur, seu de rebus deliberatis, imprimis vero cum de rebus gravissimis certa aliqua è pluribus pronuncietur sententia. Variis præterea decreti acceptionibus, quæ passim in Disciplinis & scientiis aliis occurrere solent, heic recensendis superfedentes, non dubitamus de iis fortè dari in ipsa συζητήσεσ disquirendi ansam.

§. IV.

**T**antum addimus, Decreti vocem considerari nunc *κρυβως*, proprie Philosophicè & nativè loquendo, ut significat sententiam decernendo prolatam, post antegressam accuratam deliberationem: Nunc *ἀναλόγως* in sensu analogico populariter & laxà acceptione, prout significat sententiam citra omnem prorsus præmissionem deliberationis decernendo prolatam, nunc subjective, nunc objective: nunc deniq; pro dogmatibus & præceptis Philosophorum. Harum plurium amplius cognoscendarum avidum ad Lexicographos remittimus

remittimus, & relictis reliquis significationibus, nostrum institutum esse dicimus, per decreta depingere actus divinos, tum internos, tum externos, qui quasi prælucente intellectu à voluntate decernente dependent circa objecta, quæ hoc modo, atq; secus fieri solent.

§. IV.

Vocabulum decreti *συνώνυμος* referunt, ἰ. πρόθεσις καὶ βελή θελήματι 78 Θεῶν, Propositum & consilium Divinæ voluntatis, ad quam referuntur tria observatione digna, nempe virtus volendi, actus volendi, & objectum circa quod versatur.

§. V.

Quamquam verò hæ æquipollentes seu Synonymæ voces, jam impræsentiarum materialiter secundum se & in sensu identico considerentur, tamen in sensu formali differunt; Decretum enim Dei & consilium denotant æternum actum divinæ voluntatis. Hic notandum, etiam voluntatem & decretum Dei in duplici consistere differentie gradu. Ratione quippe originis, decretum voluntate posterius est, & ab eadem distat, prout à suo principio, seu ab actu primo differt actus secundus, seu ipsa voluntatis executio aut administratio. Differt etiam decretum à voluntate, quoad latitudinem; voluntas Dei latius se extendit, quàm

decretum. Deus quippe vult seipsum, sed non decernit seipsum. Nec est quod quis regerat: Si voluntas Dei est ipsissima ejusdem essentia, ita ut ab ea abesse & differre nequeat, utique Deus eandem ad se determinare nequit. At verum prius, E. posterius. Resp. Consequentiam falsitate aspersam esse; nam disting: est inter voluntatem desiderii, seu amoris boni consequendi, non potiti, & inter desiderium complacentiæ, seu amoris ac quietis in perfectione essentiali. Plures objectiones de facili solvuntur, si disting: Inter decreta, quæ per modum accidentis inhæsiuè insunt, prout prædicamentalia, & transcendentalia, quæ de D E O verè enunciantur, per modum simplicissimæ perfectionis. 2. Dist: est inter τὸ prædicari *παρωνύμως*, quatenus significat, quòd subiectum denominetur à forma quâdam accidentali, subiecto isti inhæsiuè inexistente; & quatenus est prædicari de alio, ita ut illud quod prædicatur, in primo ejus conceptu non implicetur. Decreta Dei de eo prædicantur denominatiuè, non quod sint accidentia, sed quod in primo ejus conceptu, quo eum concipimus, non involvantur. Sic coclear, est argenteum, hic argenteum de cocleari prædicatur *παρωνύμως*, ita ut in conceptu coclearis non involvatur argentum, neque



neque hoc tamen nomine argentum quis ci-  
tra absurditatem vocaverit accidens, 3. Dist;  
inter rationem ratiocinantem seu conficientem  
& puram, quæ citra fundamentum, tantum  
ab intellectu ratiocinante instituitur; & inter  
rationem ratiocinatam seu concipientem & e-  
minentem, quâ mens nostra, ob fundamentum  
aliquod ex re petitum, ad distingvendum impel-  
litur. Hic igitur commodè sese offert occasio  
observandi τὸ prædicari denominativè, non  
illimitatè semper idem esse, ac prædicari ac-  
cidentaliter: intellectuale namq; est denomi-  
nativum, exinde tamen non dicitur de homi-  
ne accidentaliter, sed ἁπλοῦς; sic etiam incor-  
poreum denominativum est, & tamen de an-  
gelis & animabus enunciatur ceu essentialè  
quid.

### CAP. III.

#### §. I.

**P**rædelibatis ita ὡς περ ἐν προειρηταῖς, pro  
præsentis instituti ratione, quæ circa no-  
minis ἐξάπλωσιν & expositionem erant  
exponenda, definienda nunc essent nobis de-  
creta DEI. Verum id antequam aggrediamur,  
notandum prius est, an possint illa sub defini-  
tionem cadere? Et hoc ut præmittamus, sva-  
dent plerique omnes non minimi commatis,

& Theologi & Philosophi, qui non minus in formali decretorum ratione indaganda, quam in iis definiendis, tantam difficultatem deprehendunt, ut non veriti sint adserere, vires humani intellectus, partim miris modis adeò esse fauciatas & debilitatas, partim verò omnino ita amissas & extinctas, ut aut planè nihil, aut admodum parum ac frigidè de DEI decretis per se scire queant.

## §. II.

**N**os vero, quamvis diffiteri non conveniat, solidè decretorum definitionem dari non posse ex lumine naturæ, utpote à Philosophis, quantum mihi constat, non nisi rarissimè insinuatam; probabiliter tamen & aliquatenus ea, in sana Philosophia à sanioribus Philosophis, non posse defini, id nunquam sumus concessuri. Hoc namq; modo de perfectione animæ nostræ, ejusq; facultatibus planissime actum esset, quas otio & ignorantia torpescere minimè censendum est, sed solícite & studiosè scrutari de Deo ejusq; attributis, ad contestandam deprædicandamq; omnipotentiam ejus. Proindeq; ut aliquo modo naturam Dei ex principiis connatis intelligeremus, supernè gratioseq; concessit nobis altissimus intellectum seu *εραληγόν και βασιλέα*. Quo itaque plenius meliusq; ex difficultatibus, hinc inde subortis

&amp; in-

& intricatis, nos extricemus, sententiam de Dei decretis aliquanto accuratius exponere operæ pretium erit. Dist: 1. inter Decreta Dei, sub ratione quadam confusa, generica & remota, & sub ratione distincta, propria & specifica. Homo ex lumine naturæ non potest quidem intellectu attingere decreta Dei sub ratione specifica & propria, potest tñ. ea sub generalissimo quodam conceptu, seu sub ratione genericâ & confusâ cognoscere, & per cōsequens definire. 2. Dist. inter facultatem intelligēdi & judicandi. Illa, quæ recte apprehendit, in errorum & falsitatis præcipitia ferri nequit. Si enim erronea esset, sequeretur Deū indidisse nobis, & facultatem intelligendi fallacem, & rudera imaginis suæ reliquisse suum archetypum mentientia, & sic omnis scientia esset everfa, omnisq; veritas & veritatis cognoscendæ obtinendæq; spes letheis undis submersa, & nihil restaret præter æternæ fluctuationis indomitos gurgites. Hæc autem falli quidem potest, sed non in se considerata; ita enim amplissima est, & admiranda sua libertate longè lateq; sese diffundit; sed quod nimis præcipitando eâ abutatur, & inter perspicue & distincte percepta se restringere fugiat. Ne igitur sententiam nostram de decretis Dei, συζητούμενως tantum iis, quæ dicta hæcenus, B; involvisse,



involvisse, sed διαρισμένως etiam evolvisse judicemur, en jam statim libet decreta Dei sequenti descriptioni inclusa exhibere.

§. III.

**D**ecreta Dei sunt actus omniscientis Dei, quibus secundum voluntatis suæ, tam absolutæ, quàm conditionatæ beneplacitum, omnia ac singula, quæ in tempore vult fieri, aut non fieri, decernit.

IV.

**E**xhibita descriptio, tanquam rerum hic tradandarū Synopsis, ὡς περ ἐν συντομίῃ ἢ τύπῳ negotium decretorum representans, per singula membra enodanda venit. Vices generis subeunt actus, iiq: non externi & temporales, sed interni & immanentes. Præsupponunt hi actus 1. Præscientiam Dei, citra quam, vel cæcum vel nullum foret decretum; cum rei non scitæ vel nulla, vel inepta decretio sit, qualé Deo assignare ἀθεόλογον, ἀσεβές καὶ ἀσύστατον est. 2. Præsupponit voluntatem & beneplacitum prospiciendi rebus: in quâ voluntate Dei, ut eminentissimo operandi principio, consistit decretum pro modo actus primi consideratum, estque ea ratione absolutissimæ necessitatis in Deo attributum. Huc igitur spectat τὸ θελητικόν, ἢ θέλησις καὶ τὸ θεληθῆν.

**L**icebit obiter hic etiam annotasse, voluntatem bifariam considerari, vel ratione fundamenti, hoc est, quoad actum primum, vel ratione exercitii, h. e. quoad actum secundum. Priori modo spectata nihil aliud est, quam ipsa δύναμις, in quantum potest esse causa operationum; posteriori autem modo, est ipsa operatio. Et ita hoc modo iterum duplici ratione nobis spectandam se sistit: 1. quatenus dicitur & est efficax, quæ connexa est cum serio conatu efficiendi vel obtinendi finem, quod ordinario modo fieri nequit citra necessaria media. Videatur *Vasquez in Diss. CXI. C. II. num. 12.* item *Puff. l. I. de jure N. & G. c. 4.* Voluntas vero inefficax seu simplicis est complacentiæ, qua quis propendet ad aliquid citra efficiendi, vel quiequam eò conferendi studium. Voluntas efficax iterum dispescitur, in absolutam & conditionatam. Solet etiam dividi voluntas, in voluntatem finis, & voluntatem mediæ. Hinc vulgatus Canon; qui vult finem, vult etiam media. Quod tamen de omni & simplici voluntatis actu, seu complacentiæ solius, minimè intelligendum; sic enim potest quidem aliquis velle finem, non volitis mediis; ut suo loco demonstratum, & exemplis in cathedrâ σὺν παλάμῃ Θεῶν ostendendum est. De effi-

caci itaque voluntatis actu seu intentione intelligi debet, & hoc modo limitari. Quicumque efficaci & prorsus serio voluntatis decreto, & per se & simpliciter ex sua primaria intentione atque voluntate, vult finem aliquem, is etiam vult media &c. Exinde neque colligitur voluntas efficax, quod intendat electionem mediorum, quâ è plurimis mediis intellectus acumine dijudicatis, pro arbitrio certissimum aliquid, remotis reliquis, eligit. De limitatione dicti canonis, ut & efficaciâ intentionis, vid. *B. m. Aurivillius inter axiomat. Cap. 16. Metaphys: item Becanus in opere suo de Deo &c. Cap. 11. Quæst. 10.* Hic loci ἐκ ἀνεγοδιονύτως quæri potest, utrum voluntas finis præcedat voluntatem mediorum? Circa hoc ζήτημα, tam multæ certè, tamq; diversæ occurrunt Eruditorum opiniones, ut haud absurde dixerim, hunc unum esse inter illos συγκαταψήφισμος, nihil inter se consentire. Expolcit ergo dicta quæstio ad declarationem sui subtile ingenium, acutum iudicium, & alia media, quibus cum destituimur, simpliciter dicimus, voluntatem finis esse priorem voluntate mediorum, spectatâ ratione simplicis complacentiæ, non autem intellectam semper de intentione efficaci & absolute seriâ.



Pro majori lucis foeneratione, Dist: etiam inter media seu causas Physice efficientes, & inter causas finis meritorias. Respectu prioris, finis semper præcedit, si non realiter, ratione tamen ad minimum. Posteriori autem, mediorum voluntatem voluntate finis efficaci & absolutâ, ratione ad minimum priorem esse probabile est. Vide D. Joh. Museum in disp. de aeterno electionis decreto Tb. 139. p. m. 101. item Maximè celebrem nostrum Profesor. M. Andr. Wanochium in disquisit: Practic. pag: 441. 442. Voluntatem absolute seriam recte dici efficacem, quamvis non obtineatur finis, cognoscitur ex intentione finis. Voluntas enim *κρείως* ex fine appellatur efficax, quod eundem efficere vel sortiri maximè desideret, siue intentioni exitus respondeat, siue non. Vid: Vasquez. in l. 2. Disp. XLII. num. 12. & paulò inferius. Disp. III. Cap. 3. num. 12. Si cuiquam igitur placet intentiones hæc efficaces & serias adpellare decreta, vocabulo decreti *ἐν πλάτει* uti nobis videtur. Neq; hic prætereundum nobis, quod voluntas, etiam distingvi soleat in *προηγμένην* seu antecedentem, & *ἐπομένην* seu consequentem. Antecedens adpellari videtur exinde, quod præcedat considerationem obedientiæ hominum vel applicationem mediorum. Consequens

verò, quia insequitur eam, & facta videtur secundum eam. Hujus distinctionis certitudo, evinci potest ex triplici exemplorum genere; scilicet à statu OEconomico, Scholastico & Politico. Pater voluntate antecedente, filium suum fieri hæredem bonorum paternorum toto pectore cupit; At si filius Patri reluctetur, & prorsus impius sit & inobediens, jure eum exhæreat. Sic præceptor omnes & singulos suæ informationi concreditos discipulos, æquè fideliter informare cupit; Si verò quispiam eos inter, sit finaliter inobediens & refractarius, è discipulorum numero excludit. Sic pius Magistratus cupit, ut subditi juxta leges latas vivant; sin vero quis enormiter malefecerit, è medio ab eodem tollitur. Hoc insuper notandum; utramq; harum voluntatem, in hoc convenire, quod neutra sit absoluta, sed ordine mediorum limitata. Dispefcitur alias voluntas Dei, in absolutam & ordinatam. Illa est, quâ Deus aliquid absolute vult, nullo respectu habito ad quodpiam attributorum suorum. Et quicquid Deus vult hac voluntate, illud semper fit. Hæc est, quâ Deus aliquid vult secundum ordinem semel à se institutum; & quicquid vult hac voluntate, illud non semper fit, quia voluntas Dei ordinata sæper habet conditionē annexā, quâ non observata, non fit Dei

fit Dei voluntas. Non minus celebris etiam videtur divisio voluntatis divinæ, in voluntatem signi & beneplaciti. Ubi probe tenendum, Calvinianos pessimè hac distinctione abuti, dum adserunt, Deum voluntate signi in verbo revelato, velle omnes homines salvos fieri, voluntate vero beneplaciti, quæ est occultum Dei iudicium, quòd Deus non vult omnes salvos fieri. Hæc de re Theologos vide, & eos inter nostri seculi *Theologum undiquaque subtilissimum, Reverendiss: Episcopum & Doctorem Svenonium in ejus Apologetico, de voluntate DEI*: unde Cuiusvis facile patebit, hanc Calvinianorum explicationem falsam esse. 1. ex Canone logico; nulla contraria & contradictoria, unquam possunt esse in eodem subjecto humano, multo minus divino, absolutè simplici. 2. Ex Metaphysica: Voluntas signi aut signat, aut non signat. Non hoc, quia signum respicit signatū. Ergo illud, & sic è consequenti aut cum eo dissonat, aut consonat; non illud, quia sic voluntas Dei signi esset mendax, quod cogitari longè impiissimū; ergo hoc. Hinc tamen nemo existimabit, nos statuere, in Deo vel ejus voluntate ejusmodi distinctos volendi actus; quippe quicquid Deo competere putatur, est ipse  
 Deus



Deus: & ita absurdum est in Deo plures actus esse, quorum uno hoc, aliud alio; & rursum, unum nunc, aliud brevi posthinc & olim velit. Verum ita concipitur à nobis, citra omnem tamen in Deo conceptam mutationem. Vid. Th. p. 1. Qv. 19. art. 6. Multa namq; dicuntur πρὸς ἡμᾶς, & συγκαταβαίνουσιν h. e. quoad captus nostri qualitatē. Huc non incommode respexisse videtur Nazian. cum in hanc prorupit sententiam: πρὸς ἀνθρώπων αἰσῶς λέγεται, ἀλλὰ θεοῦ πρὸς νοῦνταί. Vide pulchre hac de re differentem Hundeshagen in Theolog. Nat. pag. 314.

## §. VI.

VERUM satis diu varias voluntatis distinctiones examini subiecimus, tempus jam est ostendere, quid acies iudicii nobis dicat statuendum, circa formale seu terminum restringentem in data descriptione Decretorum; quæ subministrat nobis causa efficiens, objectum & finis. causa efficiens seu principium quod decretorum Dei, est idem quod creationis, nimirum μία ἰσοσυπέσαστος ἀρχή. Principium quo est duplex, mediatum seu remotum, & ita significat facultatem in Deo intellectivam. Divinæ namq; mentis iudicium, quo Deus iudicavit bonum esse, ut aliquid extra illum exeat, causa est decreti continen-

ter antecedens; principium immediatum vel propinquum, est facultas Dei volitiva; decretum enim in sensu formali denotat actum voluntatis, quo quis aliquid constitutum vult habere ratum.

§ VII.

**M**ateria circa quam seu objectum decretorum Dei, objecto creationis æquiparatur, continens omnes gradus rerum. 1. τὰ ὄντα, vel entia speciatim sic dicta, quæ solum actu essendi gaudent, ut corpora cœlestia, elementa aliq; inanimata. 2. τὰ ζῶντα vel viventia, quæ præter privilegium essendi vivunt, ut plantæ, arbores, herbæ. 3. τὰ αἰσθητὰ vel sensitiva, quæ præter esse & vivere sensum habent, ut bruta animalia. 4. Νοητὰ vel intellectiva, quæ præter esse, vivere & sentire, etiam intelligunt, quæq; ab iis omnibus suscipiuntur, fiunt & geruntur; adeo ut res quascunque vilissimi generis decretum Dei non excludat.

§ VIII.

**I**nterim, quemadmodum omnia, ut hominum commodis promovendis inserviant, creata sunt, ita Deus eisdem sibi potissimum quamque maxime cordi curæque habet. Quorum decernit miraculosam conceptionem, formationem, & in hanc vitam ingressum. Ita r-

men, ut si quæ *παρεμβάσις* & defectus a cōi-  
 num cogitationumque contingant, ii decre-  
 tis Dei non sine ratione scandali & phrasi pia-  
 rum aurium offensiva adscribi possunt. 2. Progressum & vitæ curriculum. 3. Egressum  
 & vitæ terminum, quem certum quidem, non  
 tamen fatalem cuique hominum constituit. Probè igitur Dist: *inter coactionis necessitatem*  
*absolutam & fatalem, & necessitatem consequen-*  
*tiae & causarum secundarum respectu limita-*  
*tam & circumscriptam.* Prior harum est, quâ  
 homo necessariò è vivis excedere cogitur, hoc  
 momento, hâc horâ, hoc die, hoc ipso mense.  
 Posterior, quâ homo interim non denudatus  
 est potentia vel intercipiendi & interpolan-  
 di, & præcidendi hunc terminum, vel retar-  
 dandi & prolongandi. Quâ observatâ Dist:  
*ἀπὸ λῶς* & omnimodè damnamus *σιδῆρεον*  
 illud *πρωτόμεινον* Stoicum, cui genus & tem-  
 pus mortis cuiusq; hominis præcisè illigatum  
 somniant. *Alii distingvere solent, inter vitæ*  
*terminum in sensu Metaphysico, physico & ac-*  
*cidentaliter consideratum.* Illum esse adserunt,  
 qui omnibus necessariò præfixus est, propter pœ-  
 nam peccati, quem ultra citraq; nequit ullo  
 modo prolongari vita. Hunc, qui dependet  
 necessariò, ex principiis internis, non tamen  
 determinatè



*determinare. Ultimum deniq;*, qui dependet à causis externis seu secundis & prorsus contingentibus. Sed enimverò hâc distinctione paulò altius discussâ, si, quod verum, dicere fas sit, nec hæc firmiter adeo sibi constat, ut in illa queat desiderari nihil. Hanc igitur distinctionem quo minus placeat pensiculatiùs examinare, cum dissuadeat modestia & ætas juvenilis, verbulo duntaxat juvat indigitare, illam cû reliquis duabus, bene coincidere, ideoq; nullâ differentiâ reali ab iis distingui. Sed de hisce dabitur ansa fusiùs differendi in cathedrâ.

§. IX.

**U**t pateat magis, quod diximus, nempe non posse negari, decreta Dei extendere se ad bona & attingere mala; aliquam adjiciemus mali distinctionem, unde constabit, non omne malum ejusdem indolis atq; considerationis esse. Datur ergo aliud *malum naturale*, aliud vero *morale*. Deinde aliud malum *pœnæ* est, aliud vero *culpæ*; & illud quidem est à Deo, vel *ἐπιπονητικῶς*, quando ipse malum infligit; vel permissivè, quando malum pœnæ exequitur, vel per intelligentias, vel per mentes humanas, vel deniq; alia entia creata, eaq; animata, vel inanimata. Cum autem dicimus decreta Dei attingere ea, quæ sunt mala, Heterodoxorum omninò non favemus insanae sententiæ, adferentium aliquem dari a-

ctum

Actum, qui irregularis sit & innoxius respectu Dei, ita quidem ut erroneus licet dici possit, peccatum autem nullo modo. Usque adeo enim hanc impietatem damnamus, ut quemcunq; actum inordinatum, sive hoc sive alio modo acceptum pro vitio habeamus.

§ X.

Verum enimvero, ut clarius & distinctius mentem nostram de hac controversia explicemus, adhibebimus sequentium distinctionum maximopere necessariarum temperamenta. 1. Inter concursum sustentativum obiecti, & inter concursum causalem ad ipsum malum, seu inter concursum Dei ratione sustentationis & concursum Dei ratione cooperationis. 2. Inter decretum divinum circa mala & praedeterminationem actionum malarum Physice & moraliter consideratam. 3. Dist: inter ipsam hominis substantiam, & inter ejus qualitatem, eamque malam. 4. Dist: etiam inter naturam & culpam. 5. Dist: item inter hominum, qui aliis prodesse possunt, potestatem, & inter potestatis vitiositatem; illam à Deo esse, hanc verò ab invidio Satana & corrupto perversoq; hominum decreto & voluntate, non obscurum est. Ultimò deniq; Dist: inter flexionem Dei absolutam, & peculiari respectu certisq; modis circumscriptam. Veritati enim

*nim dissonum est, illud determinari statim, quod disponitur.* Possunt namque multa disponi in ordinem, quæ non tamen determinantur in effectum. Et quanquam vel maximè concedendum, effectum voluntatis determinari ad certum finem, non statim propterea ipsam voluntatem ad certum effectum determinari, statuendum est. Probe igitur recolenda distinctio, *inter causam efficientem & finalem.* Has Distinct. heic sufficere credimus, licet non dubitemus adferri posse adhuc alias; eam potissimum, quæ *inter Deum, ut causam, circa effectum consideratum, & tanquam constitutum in actu circa materiam & objectum.* Dist: illam, *inter voluntatem Dei effectivam & permissivam,* non facimus nostram; Deus namque neque voluntate Permissivâ, neque approbativâ, vult mala culpæ, quia ea nullo planè modo vult, & nulla prorsus voluntate. Voluntas enim permissiva aliqua voluntas est. Non incommodè igitur distingvi potest, inter permissionem seu tolerantiam & voluntatem. Non illa statim plenum velle involvit, sed potius non impedimentum rei, scilicet *Physicum.*

§. XI.

**E**x datis à nobis jam dist: hisce, non erit difficile colligere, finem decretorum Dei esse vel primarium & ultimum, gloriam scilicet



Dei, celebrationem omnipotentiae & declarationem intellectus & voluntatis divinae, vel secundarium & intermedium, salutem hominum seu temporalem, seu aeternam, adeò ut omnia dirigantur in bonum finem.

§. XII.

**H**æc autem videri parum salis habere, atque non ad palatū dicta, partim ab Epicureis, partim à Stoicis traduci, nemini non notum putamus; à quorum illis omnia incerto fluxu, nulla lege, nullo ordine, casu quodam fortuito volvi, revolvi, esse, contingere statuentibus, sanæ sententiæ de decretis Dei καὶ ἑμμεψιν; ab his, omnia quæ sunt, fuerūt, aut unquam futura sunt, necessitate inextricabili & fatali cursu esse vel fieri, nec ulla ratione secus contingere posse, asserentibus, καὶ ὕπερβολὴν dica scribitur. Hinc in ore, in sermone, vulgarium est, quando quis vel infelix conjugium sortitus, vel homicidii, adulterii, vel id genus alius facinoris commiserit, quod illud ipsi scelus inevitabile erat. Det war hans stepna. Det war honom, sã öde. Se oli hänel nijn luoru. Es war ihm so versehen. Ex horum igitur scopulis errorum sibi ex adverso oppositis, haud difficile est naturam & indolem omnium hominum, in objecto decretorum dignoscere. Ex-

tra Philosophiam sobriam quippe, & inde re-  
 ctificatam rationem, nullus non mortalium  
 de rebus suis aut aliorum quorumvis, secum  
 pensitans aut judicans, vel in Epicureum, per  
 cogitationum vana de casu & fortuna, vel in  
 Stoicum, per opinionum monstra, de fato &  
 necessitate, immutatur, ita ut vel in scyllam  
 vel in Charybdim incidere necesse habeat.

§. XIII.

**H**ujus Epicureæ de rebus humanis senten-  
 tiæ genitrix & origo est, duplex in rebus  
 humanis observata ἀταξία seu inordinatio,  
 vera & apparens. Illa est peccatum, quod  
 impeditum fuisse vel impediendum esse, argu-  
 unt à Deo, utpote iusto, omniscio & omnipoten-  
 te, si quodpiam & aliquale ejus ad res humanas  
 decretum se extendere verisimile esset. Verum  
 quò hæc eorundem illatio vergat, & quòd è  
 falsâ profecta hypothesi, inde facile liquet, quia  
 adhibita à Provido Deo sunt impedimenta, im-  
 pediendis removendisque peccatis paria omni-  
 no, & sufficientia, quibus omnes & singulæ  
 creaturæ rationales à perpetrando malo im-  
 pediri debuerunt, actuque impeditæ essent, ni-  
 si spontè gratiæ divinæ defuissent. Si Deus  
 absolutâ sua potentiâ in decretis suis utere-  
 tur, vi ista creaturæ irresistibili reperentur, &  
 homines cogitatione, volitione & actione pro-

priâ destituerentur, equis & mulis haud dissimiles: quod ne fiat, utitur Deus potentiâ, libertate voluntatis suæ determinatâ, quâ hominibus integrum est, rationis consilio & voluntatis arbitrio, alicui vel adsentiri, vel dissentire, & rebus utrò citroque libratis, bonum vel eligere, vel non eligere, malum fugere vel non fugere. Ad argumenta contraria solvenda, observandum, Deum non semper secundum vim potentiæ, sed communiter secundum cursum naturæ agere, quem cum rerum omnium initiis instituit. *Dist: etiam inter ea, quæ Deus vult à πῶλῶς in ordine decretorum suorum, & quæ vult ab aliis fieri intra definiti ordinis terminos.* Neutro hoc modo Deus sine suo frustratur: in his enim cursum præscriptum causæ libere agentes negligere, atque sic contra Dei voluntatem agere possunt; in illis verò, nunquam sine suo excidit, quia tum juxta vim omnipotentis suæ operatur.

§. XIV.

**A**tque ita Epicureos, tum frivolis rationibus, tum vel maxime opinionum suarum monstris motos, oppugnare ac destruere veritatem ipsam ostendimus. Interim futuros esse adhuc multos, non dubitamus, quibus vix vero simile videbitur



debitur, Deo competere quoddam decretum, secundum quod rebus creatis præsideat, idq; vel ideo, quia maxima in rebus humanis datur confusio, affliguntur boni, paupertate gravantur pii, morbis & infortunio afficiuntur innocentes, obediens desperant, contristantur probi, nunc vana pietas, innocentia, justitia & castitas, & nunc præmio carent: nullumque decretum apparet de opportuno piis ferendo auxilio. E contrario autem, lætantur injusti, gaudent epulones, rident mœchi, pergunt adulteri, conspirant maligni, florent scelerati & quicumque crudeles, honore & divitiis abundant impii, & benigna ubique ipsis adfulget fortuna. Sed in his maximè decretum Dei eminet, dum fausta quævis scelerati consequuntur, quò ad illud semper retinendum aptiores reddantur, probi verò improspere quæque & aspera, quò consecuta bona meliùs tueantur.

§. XV.

Interim tamen, pro majori perspicuitate, observandum est, apparentem ἀταξίαν ostendi in iis, quæ hominibus obtingunt bona vel mala; Sæpe bonis mala evenire cernimus, malis bona. Excussit ista apparens inordinatio Poetæ gentili hanc vocem:

Dum

*Dum rapiunt mala fata bonos, ignoscite fasso;  
Solliciter, nullos esse putare Deos.*

Ideò quæ videntur mala, non statim sunt talia. Egrotis videtur malum, certa diæta circumscribi, venas aperiri, membra quædam amputari. Liberis non placet, exerceri à parentibus, labore, inediâ, æstu & frigore. Discensibus in Schola injustum videtur, quibusdam, qui valent ingenio, plura ediscenda proponi, quàm tardioribus, ne otio ad vitia abutantur. Sic milites, quique fortissimi & maximè industrii, maximis objeci periculis, & in prima acie semper se collocari indignè ferunt, ignorantes imperatorem hoc ipso officiis se & dignitatibus admotum ire majoribus.

§. XVI.

Quantquam igitur ex divinâ rerum dispensatione, nemo citra verbum Dei ἀναμφιδόξως καὶ ἀναμφιβόλως & constantes colligere possit, utrum sit amore vel odio dignus, felix vel infelix; appellatio tamen fortunæ, quæ flagitium est Democriti & Epicuri, nullum inter Christianos locum meretur, nisi in quantum perhibeat de causarum secundarum mutabilitate & humanâ ignorantia testimonium. Nam ut, respectu ordinis in causis particularibus, qui ordo, objecto impedimento flecti potest, & respectu notitiæ humanæ, cu  
judiciu

judicium Dei ἐκ ἐπιχειρήσεων, sed ἀνεξέυρετον & ἀκατάληπτον est, casualia & fortuita admittimus; tamen sicut ordinem causæ primæ & universalis declinare nihil potest, ita respectu causæ hujus, omnis casus & fortunæ cogitatio ex mentibus piorum exulare latè debet.

## §. XVII.

**N**eq; tamen ex opposito, ut superius indigitatum, fatum illud fatuum Stoico-Calvinisticum admittimus, quod omni explosâ contingentia & libertate rationalis creaturæ, necessitatem insuperabilem ejus injiciat actionibus. Hujus enim inevitabilis necessitatis authores, in quibus se Calviniani non ultimos profitentur, rationem malè ducunt ex decretis, circa quæ nunc occupamur, & præscientiâ Dei. Verùm hoc stoico jactò principio, non racionales saltem creaturas, in quas tamen & intrinseca & extrinseca cadit contingentia; sed & ipsum liberrimum ens entium, Deum, necessitati turpissimæ illigatum faciunt, imo scelerum causam impiè constituent. Præscit quippe omniscius Deus, & quæ ipse facturus est; quomodo ita ipsi, vi suæ præscientiæ, omnis libertas in propriis actionibus & rebus deesse potest? quæ ipsamet est Stoicorum furiosa deliratio; & ea, qua scelerati ho-



rati homines, ac ipsū Diaboli commissuri: In quorum consortium, ex conficta præscientiæ necessariâ causalitate miserè traheretur; quod statuere vel cogitatu longè impiissimum, imo omnium absurdorum absurdissimum.

## §. XVIII,

**U**lterius adhuc rationem petunt ab indissolubili causarum secundarum cum prima causa coherentiâ: ut impossibile sit primam absq; secundis, vel secundas aliter agere, quàm prout moventur à primâ. In hac reciproca motione causarum, fatum stoicum consistit: de quo Seneca: Necessitas & Deos alligat; Irrevocabilis humana pariter & divina cursus vehit: Ille conditor omnium scripsit quidem fata, sed sequitur: semel jussit, semper parer. Sed qui hoc affirmare non perhorrescunt, Deum quoscunq; libuerit ad infausta quævis condidisse, quin imo ad causarum etiam interitus absoluto quodam decreto præordinasse, non modo statuunt, sed etiam omnipotentiam ejus & libertatem impiè tollunt; prout cordati & saniores facile ultro confitebuntur. Huic fato, loco majoris probationis, quidam adjungunt Fatum Astrologicum, quod liget & nectat firmiter creaturæ etiam rationalis actiones omnes & eventus, ad

rus, ad vim Syderum & posituram stellarum, cui Chaldæi & Astrologi primi auctores. His etiam annumerantur Agyrtæ, Stelliones, Planetarii & Mauri, qui adserere non verentur syderum hanc esse naturam, ut valeant hominum corda, negotia & successus valde & cum magna efficacîâ regere & disponere.

§. XIX.

Quamquam verò usum Astrologiæ judicariæ, quoad rerum œconomicarum determinanda tempora, quoad vicissitudines partium anni & festorum indicandas; quoad signandam rationem in tempestatibus, pluviis, ventis vel serenitatibus numerandis, in cædendis lignis, spargendis seminibus, colligendis frugibus, parandis & adhibendis medicamentis, & rebus id genus aliis, non improbamus, imò maximè requirimus & urgemus: tamen dū eò audaciæ progreditur, ut non vereatur transire ad Βαλευνικὰ καὶ περσικὰ, libertatem hominibus in rebus externis, civilibus, vel Ecclesiasticis eripiendo, & ab Horoscopo eventus & fata singulorum hominum, regionum, civitatum, gubernationum & imperiorum ortus & occasus vel derivando, vel suspendendo, eam incertam & sacræ scripturæ contrariam ducimus.

## CAPUT IV.

## §. I.

**F**eliciter ita evitatâ infami illâ Stoicorum  
 Syrte, & infidiolâ Epicureorum Charyb-  
 de, nos inter utramque ἀντιμέθεσσι re-  
 giâ incedimus viâ, sanioris Philosophiæ filium  
 quasi ariadnum secuti, adeoq; consideratu-  
 ri jam, ratione ordinis, decretorum Dei co-  
 gnata, utpote effectus & adjuncta. Effectus ni-  
 hil aliud sunt quàm executiones decreti divi-  
 ni, quas ut plurimum dispescere solent sanio-  
 res Philosophi, in decreti effectivi, præceptivi &  
 permissivi seu approbativi. Executio decreti ef-  
 fectivi solet etiâ dispesci, in mediatâ & immedi-  
 atâ: illâ utitur Deus ἀμέσως & per seipsum, quâ-  
 do quod decrevit, in actum deducit; hâc ve-  
 rò utitur, quando quod decrevit vel ἀντιμέ-  
 σως vel ἐπιμέσως & per causarum secundarum  
 ministeria exequitur. Præceptivum est, quan-  
 do Deus vel immediatè, vel mediatè præcipit,  
 quod ab æterno præcipiendum decrevit. Exe-  
 cutio permissivi decreti Dei, fit quando Deus  
 permittit fieri vel bona vel mala, prout ab  
 iis, quæ superius dicta, liquet.

## §. II.

**A**djuncta quæ ἑσσιωδώς cum decreto divi-  
 no conjuncta, sunt quatuor. 1. Adjunctum  
 est



est libertas: decreta namque Dei proveniunt ex libera ejus voluntate. Liberum enim dicitur illud, quod absq; ullo impedimēto aut interno, aut externo producitur. Ut vero hoc adjunctū decretis Dei competere probetur, & è medio tollatur ἀμφισβήτησις, aliquot potiores præmittere lubet πρῶτον σημειωμένων loco libertatis acceptiones. 1. Dist. inter libertatem specialiter & formaliter consideratam, item generaliter præcisè & indifferenter spectatam. 2. Inter libertatem, quæ dicitur necessitatis & coactionis, & libertatem ab immutabilitate seu à naturali determinatione, seu essentialem, quæ hujus loci est. 3. Inter libertatem quoad exercitium, seu contradictionis, & libertatem quoad speciem actus, seu contrarietatis; quæ bifariam consideratur, vel ratione objecti, vel ipsius actus: & hæc dicitur aliàs libertas specificationis. Ad harum distinctionum ἐξακρίβωσιν, non parum, credo, faceret, si usus earum proposito nostro serviens hic exponeretur; sed βραχυτητοφιλίας ἕνεκα, eundem, non nisi lectoris bona cum gratiâ, ipsi consilium reservamus.

§. III.

Ne verò quispiam nobis obvertat nos ab hujusmodi actibus in Deo liberis, & essentialia ejusdem necessaria, ἀναντιβλήτως velle statuc;

re in Deo compositionem ex libero & necessario, & sic per consequens Deum non esse Ens simplicissimum; observandum volumus, decreta considerari dupliciter, *ἁπλοῦς* seu *ἀπλῶς*, & *ἐνεργητικῶς* seu *χεικῶς*. Decreta enim Dei non sunt actus realiter à voluntate Dei elicitī & producti, quemadmodum sunt decreta humana. Sed decreta Dei *ἁπλοῦς* & *ἀπλῶς* considerata, cum essentiā divina unum sunt simplicissimum *ἴαυτο*. *ἐνεργητικῶς* verò seu *χεικῶς* considerata, prout cum libera terminatione ad objectum vel connotatum respiciantur, eatenus quodammodo distingvi possunt à Deo, at distinctione non reali, sed rationis. Sed adhuc posset quis regetere, dicendo, actum liberum esse, qui potest esse & non esse. At Deum non posse non esse, sed necessariò esse; Ergo actum liberum in Deo non posse esse ipsum Deum, & sic nos minùs rectè & sobriè adscribere decretis divinis libertatem.

§. IV.

**H**anc objectionem breviter diluere volumus, quantum fieri potest, reponendo, decretum Dei esse ei aliquid intrinsecum, prout actus est, qui intra simplissimam Dei essentiam vertitur, sed in quantum est aliquid Deo intrin-

intrinsecum, in tantum, præcisè objectis, non habere formaliter rationem actus liberi, sed esse ex parte Dei ipsissimam Dei essentiam; habere autem demum rationem actus liberi cum connotatis contingentibus, quæ possunt esse & non esse. Hinc actus liber Deo competens bifariam spectari potest; Uno modo præcisè, respectu entitatis, quæ in Deo importat, quæ in se absolutè spectata entitas necessaria est, & ipse Deus; altero modo concipi potest cū connotatis contingentibus, ad quæ terminatur, & tum habet eadem entitas formaliter rationem actus liberi.

## §. V.

Secundum adjunctum est æternitas, Deus namq; non decreta sua demum in tempore facit, sed omnia ista ab æterno constituit, & quidem sine omni deliberatione seu consultatione præviâ. Nec quicquam proinde obtinent, qui objiciunt decreta Dei sunt libera, ergo non sunt æterna.

## §. VI.

Tertium adjunctum est immutabilitas, quæ Deus, & ab intra, & ab extra, omnimode est immutabilis. Quinque modis aliquid vulgariter mutabile dici solet. (α) quoad existentiam. (β) quoad locum. (γ) quoad accidentia. (δ) Quoad cognitionem. (ε) Quoad beneplacitum voluntatis. Horum autem modo-



modorum nullo Deus mutari potest, quod ita probamus: si Deus, qui prima causa est omnium rerum, quoad sua decreta mutaretur, tunc mutaretur vel à seipso, vel ab alio; sed non illud, ita enim transmutaretur, vel in nobiliorem, vel in minus nobilem Deum. At falsissimum est & impiissimum, Deum mutari in ignobilius, hoc enim modo non esset verus Deus. In nobilius verò converti nequit, nihil namq; tale, vel extra vel intra mundum dari potest. Sed posset hic aliquis regerere, Deum posse aliquid nolle, quod decreverit ante. Resp: Hoc falsum est, quia si ejusmodi mutabilitas in Deo esset, vel illa emergeret ex defectu cognitionis Dei, vel ex inconstantia voluntatis; quod utrumq; enti perfectissimo repugnat. Deus igitur quoad decreta sua semper sibi constat, & quod semel statuit, ex parte ipsius nunquam alterari potest. Hoc etiam Divus ille Ambrosius piissimo animo adferens; non est inquit, *in Deo accidens motus, aut nova voluntas, aut temporale consilium, nec cogitatio ejus cum rerum mutabilium inequalitate variatur.*

§. VII.

Quartum adjunctum est necessitas, non quidem absoluta, quia Deus liberè decrevit, quicquid decrevit, neq; passiva, quia nihil Deum

non necessitavit, ut decreta faceret; Nec deniq;  
coactiva, quia Deus creaturas ad hoc vel illud  
faciendum non coëgit; sed necessitas infallibi-  
litate & immutabilitate, quia Deus non po-  
test mutari in oppositum.

## §. VIII.

**Q**uod ad ipsum adparatum Decretorum seu  
modum attinet, quomodo videlicet cau-  
sæ vel adjuncta, jam à nobis specietenus & levi-  
ter tacta, jungi queant, lectori vix posse luculenter  
& indubitatè ostendere existimamus, nisi qualè-  
cunq; injecerimus mentionem modi, qui con-  
sistit in constanti, serio & pleno voluntatis  
actu, cujus beneficio tandem, positis omnibus  
requisitis, quæ ad plenum decretum requirun-  
tur, aliquid statuitur vel decernitur. Hinc  
igitur liquet simplicem aliquam velleitatem,  
quæ nascitur ex re absque ulla cogitatione fa-  
ciendi illam, vel consequendi, decretum non  
constituere. Dicitur aliàs hæc voluntas sim-  
plicis ad probationis, quæ aliquid cum alicujus  
indole & inclinatione convenire colligitur,  
ita tamen ut ad illam efficiendam, vel potiun-  
dam, actu nondum sese efficaciter moverit.  
Et hinc fluit appellatio voluntatis inefficacis  
seu complacentiæ solius, quæ aliquis quidem  
desiderat & exoptat finem, sed non media, si-  
ne qui-

ne quibus finis obtineri nequit. Hæc voluntas fertur in impossibilia, sed cum sit sine efficiendi studio, vel quicquam eò conferendi desiderio, ad decreti *σύστασις* facere nequit. Neque decretum constitui potest per volitionem seu actum voluntatis efficacem, quò ipsa fertur & propendet in objecta, quæ fieri seriò planeq; expetit. Hujus adsertionis causa hæc colligitur, quod dictâ hæc voluntate, licet seriâ, non rarò excidere quis potest, non culpâ quidem suâ, sed & mutabilitate & ignorantia objectorum. Non esset fortassis ab hoc loco alienum plane, fusiùs de voluntate differere; sed quoniam hæc de re superius cap. 3. §. 5. Lectorem eò amicè remittimus.

## §. IX.

**F**uere hæc qualitercunq; dicta de adjunctis decretorum Dei; sequitur nunc ut *ἀποδιῶς* & sevi tangamus calamo, divisione decretorum Dei: circa quæ sciendū est, ea quidem non habere species diversas, cū non sint multiplicia; possunt tñ. distingvi, prout considerantur *ἀντικειμένως*, vel ratione *πρωτογενεσίας*, h. e. respectu primæ creationis. DEUS namque ab æterno decrevit creare omnia, prout nunc creata existunt: hinc per benè informatam rationis dictamen clarissimè patet, decretum  
 creatio-



creationis esse omnium primum. Decretis  
namque DEI planè respondent opera ejus, & ut  
operum DEI omnium, ita decretorum etiam  
distinctio, observatis observandis, & ordo, ci-  
tra absurdi sequelam admitti potest. Decre-  
tum etiam dist. vel in *συγχωρήσεως* seu per-  
missionis, & *εὐδοκίας* seu beneplaciti & appro-  
bationis; Item in materiale, vel formale. Respectu  
objecti voliti, est vel absolutum, vel conditio-  
natum. Respectu verò formæ, dicitur vel ex-  
plicitum vel imPLICITUM. Ἰμπlicitῶς verò &  
à parte rei spectata, multiplicia esse nequeunt,  
quia omnia cum divinâ essentiâ ἁπλῶς sunt  
ἑαυτοῦ, & unum & idem sine ordinationis di-  
versitate. Nec tamen hæc essentiæ DEI & e-  
jus Decretorum ἑσότης καὶ ἐνότης invenit a-  
liquam ἀπερίαν, quia decreta Dei dispares  
constituunt gradus. Verùm enimvero, contra  
hanc distinctionem haud pauca objici solent:  
idcirco inquirendum, quomodo decreta Dei  
ab essentiâ ejus & inter se differant. Quod ut  
paucissimis expediatur, sciendum volumus,  
fundamentum nostræ distributionis dari à par-  
te Dei, non quoad ipsum Deum, sed respectu  
DEI effectuum. Diversi namq; occurrunt con-  
ceptus objectivi, non realiter, actu & secun-  
dum se, sed virtualiter seu eminenter ratione  
D effectuum,

effectuum, & terminatione ad opus hoc vel illud discreti. Hinc dicitur irascibilis secundum decretum justitiæ, bonis vero favere secundum decretum misericordiæ. Hisce præmissis, porro notandum est, nos heic non intelligere distinctionem Physicam, seu essentialem seu integram, sed Logicam seu mentalem. Ad refellendas Adversariorum objectiones, notandum, conceptum objectivum bifariam spectari: (a) quatenus opponitur formali, & ita est ipsa res quæ concipitur; formaliter vero acceptus est ipse actus intelligendi. (β) conceptus objectivus adpellari solet, prout involvit vel involvere potest *quædam* ad intellectum concipientem. Illo modo si spectetur conceptus objectivus, concedi potest, quod ea, quæ habent distinctos conceptus objectivos ante actum intellectus, se inter sint distincta. Secundo tenendum; bifariam etiam spectari ipsum objectum, (α) specificativè, & (β) reduplicativè, quoad rationem objecti. Priori modo denotat speciem illam seu entitatem, quæ terminatur cognitio, cum prædicatis illi competentibus ante eam cognitionem, idq; independenter; Hoc modo quoad rationem objecti, denotat entitatem objecti, involventem jam vel denominationem, vel effectum cum

cum dependentia à cognitione. Ut verò ex hisce aliqualis usus emergat, observandum; quando Adversarii adserunt in Deo datì diversos conceptus objectivos, eosdem spectare in sensu reduplicativo, non specificativo. Atq; hæc sunt, Lector optime, pro merito virtutis suspiciēde, quæ in simplicitate pro doni & talenti mihi concrediti mensurâ, rationeq; instituti, festinato de decretis stylo, hæc vice consignare licuit. Calamū itaq; retraho. Multa, fateor, considerata mihi obversantur, quæ consumationis iudicii viris, tibiq; supplenda modeste relinquo, satis sciens, levia esse, quæ tractarim, iustoque operi haud adfinis; sed abs Te, Lector, rerum æstimator candidissime, quâ debeo modestiâ & de veneratione perofficiose contendo. Hæc, quæcunque sunt, sereno vultu aspice & gratiæ tuæ favore haud gravatim prosequi dignere. Quò de ut certior sim, scriptum hoc levissimum verbis D. Augustini, quibus in argumento, tali, ac hoc, subtilioris ingenii acumine elaborato, usus est, claudio.

*Quicquid hac legit, ubi pariter certus est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat, quæret mecum: ubi errorem suum agnoscit, redeat ad me: Ubi meum, revoces me. Ita ingrediamur simul iharitatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est: quærite faciem ejus semper!*



Ἐπεισόγια.

I.

Magos, qui ex stella adparentis novitate, ad Messiam accedere, vel Reges vel numero tres, vel denique de Saba fuisse, neq; historia, neque mappa Geographica evincunt.

II.

Sistendo in sphaera luminis natura, praecisa Φανερώσει divinā, sufficiens, apodicticum, convincens & infallibile argumentum adferri nequit, pro anima humana existentia separata.

III.

Etiamsi ὑπὲρ τὸ γέγραπται non sapiendum, sed in occultis potius τὸ ἐπέχειν arripere convenit, nihilominus καὶ ἀπροσδιόνως quari potest, utrum ex τῶν ἀδύνατων omnino sit, & ἀνιφανῶν creaturam ab aeterno potuisse produci.

IV.

Sacram paginam, simpliciter & omnem proventus foenerationem pro creditis pecuniis, cum Deo & natura contrariam statuere, oppidò falsum est.

V.

Vulgari communiq; proverbio circumfertur, summum jus esse summam injuriam; hoc tamen non semper verum est.

VI.

## VI.

*Interdum quaedam mala facere licet, ut inde eveniant bona.*

## VII.

*Quamvis experientia constet, cum pueros, tum adultos, ut plurimum verberibus eò adigendos, ut discant, & scientiam sibi adquireant; inde tamen non firmiter evincitur desiderium sciendi, omnium hominum animis per naturam, inde usque ab ipso Matris utero non esse ingeneratum.*

## IX.

*Adfertio, quã visus dicitur nobis esse charior reliquis sensibus, & ad cognitionem commodior, fundamento nititur non invalido.*

## X.

*Difficultas cognoscenda veritatis, partim ad nos, partim ad res ipsas referenda esse nobis videtur.*

## XI.

*Tenebrae nec à Deo sunt conditae, nec involvunt aliquid positivi, sed tantum absentiam lucis.*

## XII.

*Malum originale, diverso considerationis modo, & probe observatis observandis, & ens privativum, & positivum etiam, citra errorem circa fidei articulos dici potest.*

## XIII.

*Posito, nec concesso, nec unquam concedendo, quod Constantinus Magnus Sylvestro Pape, Urbem*

Urbem Romam & Imperium occidentale concessisset, de jure tamen non esset valida talis donatio.

XIV.

Non pauci pro more habent in Bacchi presentia, vitra inter sibi amicos parare, quos ut fratres adpellare postea solent; verum ejusmodi amicitias poculares & vitreas potius, quam veras, multa mihi evincere videntur rationum momenta.

XV.

Nulli olim honestioribus Ecclesie Dei & Scholarum ministeriis vel idonei vel digni censebantur, nisi qui prius sibi ingens gloriosa fama precium, editorum insigniter in Academiis speciminum fulgore struxissent: Ubi claritatis & industria inopia damnata, sola & virtutis gloriaque cupido, & solidioris doctrine ubertas maximam mercedem opulentiam exhibuit.

XVI.

Qui promissionem suam perjurio obnoxiam fieri permittit, nullam gravitatis & fidei reverentiam obtinet: animique inconstantis labe fœdè omnem existimationis sue infuscat splendorem.

XVII.

Gregium hebetis iudicii specimen, quum eruditio, indefesso studio, multoq; sudore parata, soli tantum possidenti & non proximo utilis judicatur futura.

GLORIA ALTISSIMO!